

si testator in nominibus rerum appellativis erraverit, veluti si cum vellet *vestem* legare, *supellectilem* scripserit, putans, vestem appellatione supellectilis contineri, placuit neutrum peti posse; vestem enim testator non dixit, et supellectilem non intellexit: l. iv, ff. De legat. 1.

(36. Uterius relinqui potest legatum, vel pure, vel sub conditione. Conditiō est adjectio, quæ actum ab incerto ac futuro eventu suspendit: eaque alia possibilis, alia impossibilis dicitur. Possibilis triplex est, *potestativa*, *causalis* et *mista*. Conditiō potestativa est illa, quæ a voluntate ejus pendet, cui imposita est; veluti, « si Capitolium ascenderit: » Casualis, quæ a casu, et fortuna pendet; nempe « si navis ex Asia venerit: » mista demum conditiō quæ partim a voluntate ejus cui imponitur, partim a casu pendet. Conditiō impossibilis eventum continet nulla ratione extitutum, eaque, vel natura talis est, veluti « si flumen Tilius ebiberit, si cælum digito tetigerit: » vel lege, quæ fieri vetat, quod in conditione continetur, e. g. « si Mævium occideris: » vel bonis moribus, quibus conditiō repugnat, veluti, « si nudus in foro saltaveris. »

(37. Conditiones impossibiles pro non scriptis habentur, adeoque nihil obstat pro hæreditatum, vel legatorum assecutione, ac si pure, et absque conditione relicta sint.

(38. Quod si conditiones possibilis adjectæ fuerint, legata in pendenti sunt, atque tunc vires capiunt, cum illæ implementum habuerint. Et si conditiō defecerit, legata quoque sub tali conditione facta corrumpunt. (39. Quoad vero conditionem potestativam observandum, (hanc) « deficere posse, vel *facto ipsius testatoris*, vel *facto ipsius legatarii*, vel *facto tertii* cujus intererat eam non impleri, vel *facto tertii* in cujus persona implenda erat, vel *facto tertii*, cujus nihil interest impleretur, nec ne, vel denique *casu*. (40. Si factio ipsius testatoris implementum non sequatur, defecisse conditiō intelligitur, nec relicta peti possunt; veluti si testator legat Titio sub conditione, « si is solvat Mævio, quod testator legans Mævio debet, » et testator postea vivus ipse debitum exsolvat; l. lxxii, § pen. ff. de condit. et demonstrat. (41. Sed et si ipsius legatarii factio non impleatur conditiō, dum implere valens, implere non vult, etiam tunc pro defecta habetur conditiō, nec debetur quod relictum est; l. iii, Cod. de condit. insertis, l. xxxi, ff. de condit. et demonstrat. (42. At si implementum conditionis impediverit tertius, cujus intererat eam haud impleri, cum legatarius implere vellet, perinde habetur ac si impleta esset, et relicta præstanda sunt; l. lxxxii, ff. De condit. et demonstrat. (43. Idemque est, si impeditum sit implementum factio tertii, in cujus persona conditiō implenda erat, veluti « si decem Caiæ det, si Caiam in uxorem ducat, » et illa decem acceptare nolit, vel in nuptias consentire; l. xi, ff. eod. vel turpe, et luxuriosum,

ac impudicum vivendi genus eligendo sese nuptiis honesti viri indignam effecerit; arg. l. lxxiii, ff. cit. tit. De condit. et demonstrat. (44. Quod si factio tertii cujus non intererat, utrum conditiō existat, nec ne, impeditum fecerit implementum ejus, veluti cum Titio legatur, « si is Stichum servum suum manumiserit: » et Stichus a tertio occidatur, conditiō pro defecta habetur, nec quidquam juris ad legatarium in re legata devolvitur, si mortuo demum testatore cædes facta sit, l. xxiii, § 2, ff. ad legem Aquiliam. Sed si vivo testatore servus manumittendus occisus sit, conditiō magis pro impleta habetur, si modo testator adhuc superstes sciverit, factio tertii rem ad eum casum deductam esse, ut existere amplius non possit, quia testator sciens eam conditionem a legatario per talem casum supervenientem impleri non posse, facile suam potuisset mutare voluntatem, si noluisse relicta præstari, ac id non agens, credendus est in eadem liberalitatis voluntate persistisse. »

(45. « Si casu fortuito superveniente non sequatur id quod conditione potestativa comprehensum est, veluti mortalitatis personæ, circa quam implementum conditionis faciendum erat, dum quis legato honoratus est, « si Stichum servum suum manumiserit, » eodem modo, uti in casu superiori, videndum, utrum vivo, an mortuo testatore casus talis extiterit. Nam si vivo, et sciente testatore mortuus sit Stichus manumittendus, conditiō pro impleta habetur, aut certe pro non defecta, et ob id relicta debentur, quasi per honoratum non steterit quominus impleatur; l. viii, ff. De condit. et demonstrat. Quod si testator ignoraverit, magis est, ut relicta non debeantur, dum incertum est, an testator si scivisset, conditionem per casum supervenientem impleri non posse, voluntatem suam non fuisset mutaturus.

Si vero post mortem demum testatoris casus fortuitus mortalitatis extiterit, quo impeditum fuerit potestativæ conditionis implementum, ipsa quoque conditiō defecta censetur, nec relicta peti possunt. »

(46. « Quod si fundus Titio legatus esset, « si centum Symphoro, et Januario » præstiterit; et Symphoro ante centum dationem, mortuo, quæreretur, an periisset legatum ob conditionis defectum, benigna interpretatione responsum a Pomponio fuit, legatarium partem dimidiam Januario dantem, partem fundi consecuturum esse, « si non post moram Titii Symphorus decesserit, » l. pen. § 1, ff. De condit. et demonstrat. »

(47. Ad hæc conditiones potestativæ, aliæ in *faciendo*, aliæ in *non faciendo* consistunt. Si in non faciendo versentur, multum interest, utrum in contractibus, an ultimis voluntatibus appositæ fuerint. Siquidem si decem quis stipulatus fuerit, « si in Capitolium non ascenderit, » etc. eventus conditionis expectandus est, ut promissa jure petantur, adeoque perinde est, ac si stipu-

latus esset, cum moreretur sibi dari (122). Ex adverso voluntatum ultimarum favore placuit, institutum, vel legato proprietatis, aut solius ususfructus honoratum, sub tali conditione in non faciendo consistente, confestim posse relicta percipere, præstita cautione Mutiana, datis fidejussoribus, aut jurejurando cum hypotheca bonorum interposito, de restituendis ex supremo judicio perceptis, una cum fructibus, et usuris, damnis insuper resarcitis, quæ proprio facto, et culpæ legatarii in rebus legatis secuta fuissent, l. lxxxix, § 1, De condit. et demonstr., Novell. 22, cap. 44, § 2, 3 et 4.

(48. Hanc honorato cavendi necessitatem remittere poterat testator. Notandum vero, quod cautio Mutiana locum habebat, quoties non nisi mortuo legatario conditiō verificari potuisset: si enim eo vivente, conditiō exitum habere possibile fuisset; uti cum legatum esset « Titia, si Caio non nupsisset, » quia evenire poterat, ut Caius ante Titiam decederet, conditiō verificanda erat pro legatarii consecutione, scilicet Titii decessus, l. 106, ff. De condit. et demonstrat. (vel ejus incapacitas ad contrahendum matrimonium uti apud catholicos ex voto solemnium, vel ex sacro ordine suscepto), absque eo quod beneficium Mutianæ cautionis interim invocare Titia posset, si non paruerit conditioni de non faciendo conceptæ.

(49. Illud vero quoad conditiones spectat, discriminis intercedit inter contractus, donationesque inter vivos, et testamenta, sive actus ultimæ voluntatis; siquidem in his postremis, si hæres, vel legatarius sub conditione honoratus ante eam impletam moriatur, nullum ad suos hæredes jus quoad hæreditatem, vel rem legatam transmittit. Contra vero si donatio inter vivos sub conditione facta sit, et ea pendente donatarius decedat, spem omnem donationis ad suos successores transfert, non secus ac in aliis inter vivos actibus, ac contractibus obtinere exploratum est.

(50. Insuper addendum, quod ubi in legatorum præstatione dies incertus præfigitur, hujusmodi legata fiunt conditionata, juxta illud Digest. « Dies incertus conditionem in testamento facit, » l. 75, De condit. et demonstrat. Hinc ex eodem jure Romano: « Si incerta dies quasi cum pubes erit, cum in familiam nupsit, cum magistratum inierit, cum aliquid demum, quod scribendo comprehendere sit commodum (fecerit), nisi tempus conditione obtigit, neque res pertinere, neque dies legati cedere potest: » l. 21, ff. quando dies legat. cedat. Et in l. xxii, eod. « Si Titio, cum is annorum quatuordecim esset factus, legatum fuerit, et is ante quartum decimum annum decesserit, verum est ad hæ-

(122) Siquidem cum conditiones de non faciendo, v. g. si Romam non iveris, non nisi, cum qui mortuus sit, verificari possint, sequeretur, legatarium sub tali conditione honoratum, nusquam suæ vite tempore legatum petere posse; et si de legato ususfructus ageretur, cum ususfructus morte usufructua-

redem ejus legatum non transire; quoniam non solum diem, sed etiam conditionem hoc legatum in se continet, si effectus esset annorum quatuordecim. »

(51. Hoc pacto si ita scriptum: « Hæres meus cum ipse morietur, centum Titio dato, legatum sub conditione relictum est; quamvis enim hæredem moriturum certum sit, tamen incertum est an legatario vivo dies legati non cedat: et non est certum legatum ad eum perventurum: » l. 79, § 1, ff. De condit. et demonstrat.

(52. Quod si legatum factum sit ad diem certum præstandum, scilicet, post biennium a morte testatoris, etc., legatum ejusmodi nullatenus sub conditione est, sed ad terminum dicitur; adeoque et si legatarius ante tempus præfinitum moriatur jus ad hæredes suos transmittit. Et idem est, si designatum esset tempus implendi legati, dum legatarius moriatur; ex l. iv, ff. Quando dies legat. cedat, nempe: « Si vero cum ipse legatarius morietur, legetur ei, certum est legatum ad hæredem transmitti. »

(53. Porro in legatis conditionalibus, vel ad terminum, ne spes vel jura legatorum, rebus successoris per hæredem dissipatis, aut dictactis, frustrarentur, optimo jure constitutum fuit, pendente conditione, vel termino, hæredem satisfacere debere legatariis hujusmodi, pro legatorum assecutione: « Nec sine ratione hoc prætori visum est, sicut hæres incumbit possessioni bonorum, ita legatarios quoque carere non debere bonis defuncti; sed aut satis dabitur eis, aut si satis non detur, in possessionem bonorum venire Prætor voluit: » l. 1, § 2, ff. Ut legat. seu fideicom. servand. causa caveatur.

(54. Jam vero dominium rei legatæ statim morte testatoris transit in legatarium, ut ex juris axiomate exploratissimum est. Quod si res legata post mortem testatoris sed ante traditionem pereat, perit legatario, quia a morte testatoris dominus est, nisi factio hæredis perierit; § 16, inst. h. t. Et si res legata casu fortuito, aut factio alieno perierit, nulla mora ab hærede facta, legatario perit: contra perit hæredi, si ipsius dolo, mora, culpa, aut factio aliquo intercederit, l. xxv, § 2, Ad senatum Trebellianum.

(55. Verum si res legata æque apud legatarium periisset, æquius est, hæredem, qui in mora tradenda fuit, nihil præstare debere l. xv, § 3, ff. De rei vindicatione.

(56. Amplius si quid vivo testatore, de re legata decedat, quod reliquum est, debetur, nisi sit accessio ejus, quod perit: jure enim Romano accessio semper sequitur rem principalem: ac proinde re principali extincta, semper perimitur accessio, l. ii, ff. De peculio legato. Si vero rei legatæ aliquid,

rii expiret, nihil hinc legatarius nec sibi, nec suis hæredibus acquireret. Hinc Romanæ leges sapientissime cautionem Mutianam, Q. Mutio Scevola auctore, invexerunt, vi cujus legatarii res legatas absque temporis interjectione consequi poterant.



mortuo testatore, decedat, quod superest, legato cedit, quamvis id accessio sit, l. xii, ff. De peculio legato; si quidem a morte testatoris rei legata dominium ad legatarium transit.

(57. Quod si universitas quædam rerum legata sit, augmentum, et decrementum vivo testatore contingens legatarii lucro, aut damno est. Proinde grege relicto, cedunt legato oves, quæ post conditum testamentum adjunctæ sunt: ex adverso, si grex, vivo testatore, ad unam ovem pervenerit, quæ superest, ovis debetur, § 18, ins. h. t. quamvis grex esse desiderit; quod enim ex grege superest, pars gregis est, non accessio; et pars semper debetur. Et si ædes fuerint legatæ, iis collapsis, area legati nomine peti potest, utpote pars ædificii, non accessio; l. xxii, ff. De legat. 1.

(58. Hæc vero ita se habent in proprietate legata: nam ususfructus gregis, aut domus relicto, nec ususfructus debetur, unius ovis, quæ sola supersit, nec in area ususfructus manet; l. ult. ff. quibus modis ususfructus amittatur, § 3, inst. De usufruct. una quippe ovis, et area non sunt grex, aut domus in quibus ususfructus relictus est.

(59. De jure Romano Justiniano tres actiones ad petenda legata proditæ sunt; nimirum *Actio in personam*, *actio in rem*, et *hypothecaria*. Actio in personam ex quasi contractu est, adversus scilicet hæredem, simul ac hæreditatem adiit, pro rebus legatis persolvendis; actio in rem est ex dominio, quod a morte testatoris ipso jure transit in legatarium, daturque adversus quemcunque rei legata possessorem, si res legata corporalis sit, et testatoris propria: et hypothecaria demum est ab hypotheca, cui omnes res hæreditarias in gratiam legatariorum Justinianus subjectas esse voluit. Utinque vero hæc actio detur, si quantitas in genere legata sit, vindicatio, seu actio adversus tertium non datur, ubi res hæreditariæ, venditione, etc., non amplius penes hæredem sint: quod idem jure hodierno apud scriptores receptum.

(60. Quia vero hominis voluntas ad supremum usque vitæ exitum ambulatoria est, l. iv, ff. De adiment. legat. pro jure suo testator relicta legata adimit, vel transfert. Adimuntur legata, quoties testator legatariis quos destinaverat, amplius ea conferri non vult, id quod duobus modis fit, nempe vel verbis, per actus nempe contrarios ultimæ voluntatis; vel factis, si vel rem legatam alienet (de hoc vide superius dicta) vel corrumpat, aut ad aliam formam redigat, ita ut ad priorem speciem reduci nequeat: l. lxxv, § 2, ff. De legat. 1, l. lxxxviii, § 2, De legat. 3.

(61. Sic porro adimuntur legata per translationem, nimirum a persona in personam; vel mutato ipso legato; aut conditione adjuncta, qui duo postremi modi modificationes potius dicendi veniunt.

(62. Corruunt vero legata pluribus modis, ut nihil inde debeatur, veluti legatario mortuo ante testatorem; interitu rei sine facto

hæredis, ut supra dictum est, defecta conditione in legatis conditionalibus, juxta ea quæ tradidimus, repudiatione legatarii, tandem si hæreditas non adeatur, quippe tunc ex jure Romano, vi testamenti resoluta, legata intercidebant; nisi ex eodem jure adjuncta esset in testamento clausula sic dicta codicillaris, (de qua suo loco dicemus sub v. *Testamentum*), vi cujus hæres ab intestato legata præstare debere compertum est.

(63. Hic porro notandum, quod ex iisdem Romanis legibus cautum est, nempe si hæres institutus ipsemet esset, cui hæreditas ab intestato devolvenda esset, isque hæreditatem testatam repudiaret, ex causa intestati successurus, non per hoc liberabat se a legatorum præstatione; en textus legis: « Prætor voluntates defunctorum tuetur, et eorum calliditati occurrit, qui, ommissa causa testati, ab intestato hæreditatem, partemve ejus possident; ad hoc ut eos circumveniant, quibus quid ex judicio defuncti deberi potuit, si non ab intestato possideretur hæreditas; et in eos actionem pollicetur: » l. i, ff. Si quis omiss. caus. test. Sic quoque si hæres institutus repudiaret hæreditatem, ea mente ut ad legitimum hæredem transiret, hic ad legata persolvenda tenebitur: « Si quis per fraudem omiserit hæreditatem, ut ad legitimum (hæredem) perveniat, (hic) legatorum petitione tenebitur: » l. i, § ult. ff. Si quis omiss. caus. testam.

(64. Quod attinet ad legata pia, notandum « illam dici piam dispositionem, seu pium legatum, quod relinquitur pro honore Dei, vel sanctis, vel pro salute animæ, vel in aliud quodecunque pium opus. Alii vero, et brevius dicunt, illud dici legatum pium, quod pro anima relinquitur. » Ventriglia t. II, annot. 28, § 1, De legatis piis, n. 2.

« Igitur legatum ad pias causas dicitur quidquid ecclesiæ relinquitur; nam relicta ecclesiæ, capellæ, aut monasteriis, pio loco, sunt consequenter relicta ad pias causas. . . quia relicta ecclesiæ dicuntur relicta Deo pro salute animæ... Eleganter Bened. Ægid. Lusit. . . ait, legatum pium tripliciter considerari posse: aut enim pium dici ait propter recipientis personam, vel solum propter causam, in quam legatur, vel denique propter intentionem agentis, licet id ultimo loco relatum habeat locum in solo tribunali divino. » Barbosa Jur. eccl. univ., lib. iii, cap. 27, De legat. piis, n. 2 et seqq.

(65. Hoc pacto « dicitur quoque legatum factum ad piam causam, si fiat pro salute animæ, et pro remissione peccatorum, et amore Dei. . . Relictum autem pro anima intelligitur, non solum quod quis legat pauperi. . . verum etiam quod relinquitur ecclesiæ pro celebratione missarum, et alimentis clericorum, seu religiosorum, seu pro constructione, et ornamentis ipsius ecclesiæ; (idem dic) de relictis pro luminariibus, cereis, anniversariis, et cæteris ad perpetuum cultum divinum, sive etiam tem-

poralem pertinentibus. » Barbosa, ibid., n. 11 et 12.

(66. « Ex dictis collige dici legatum pium quidquid relinquitur pauperibus, et egenis, pupillis, viduis, peregrinis, auxilio proprio destitutis, vel ratione morbi, vel ætatis, expositis, et similibus quibuscunque miserabilibus personis, in honorem Dei Omnipotentis. . . Abb. et alii communiter. » Ventriglia, ibid., n. 3. « Item quod relinquitur hospitalibus, vel aliis locis, in quibus pauperes, et miserabiles personæ foventur, aut alia charitatis opera exercentur. » Barbosa cit. cap. 27, Jur. eccl. univ., n. 12.

(67. Pari modo « relicta collegiis sacris, et religiosis, confraternitatibus etiam secularibus, et profanis, institutis ad exercenda opera pietatis, et charitatis. . . Eremitis, qui eligunt solitariam vitam, et conversis, (dicuntur) relicta ad pias causas. » Barbosa l. cit., n. 12.

(68. (Hinc) « collige dici pium legatum, imo inter pia præcipuum, quod factum est ecclesiæ, monasteriis, et aliis piis locis, in quibus senes, debiles, et infantes, et aliæ personæ miserabiles, et languidæ aluntur, et alia caritatis opera exercentur. » Ventriglia, adnot. 28, § 1, De legat. piis, n. 31.

(69. Illud amplius dicitur pium legatum, quod relinquitur pro fabrica ecclesiæ, vel monasterii, vel pro alio loco pio construendo. Ventriglia ibid., n. 52.

(70. Ad pia quoque opera intelligitur relictum: quod pro redimendis captivis relinquitur; (vel) pro excarcerandis carceralibus (nempe ex causa æris alieni: (vel) pro monachanda pauperula: (insuper) pro maritandis pauperibus puellis, et ita pro earum dote: pari modo quod relinquitur causa studii; item pro constructione monumenti, vel pro ecclesiis reficiendis: ideam dic de illo, quod relinquitur pro sepultura, et pro sepeliendis mortuis, seu funeris impensa. Sic quoque relicta facta pro incertis, et male oblati sine dubio dicuntur relicta ad pias causas, ex quo sunt pro exoneratione conscientiæ, et salute animæ testatoris. Ita enumerantur legata hujusmodi apud Barbosam, ibid., n. 13 et seqq.

(71. « Connumerari (quoque) inter piam causam dispositionem, legatum, vel donationem factam pro refectione, et constructione pontium, viarum, murorum, et fossatorum civitatis, et castrorum, et similibus, ea ratione, quia prædicta deserviunt etiam pauperibus, et miserabilibus personis, quæ inibi inhabitant, sicut eadem ratione dicitur pia dispositio, quæ facta est pro custodia civitatis et locorum. » Ventriglia ibid., n. 72.

(72. « Late sumpto vocabulo, sic Barbosa, relictum pro anima intelligitur, quod pro bono publico legatur, veluti pro restauratione pontium, vel viarum. . . aut pro civitatis custodia, et publicorum locorum, modo necessitatem loca hujusmodi paterentur; quia tunc præsumuntur legata illa pro bono publico, et personarum utilitate, ac conse-

quenter pro animæ salute relicta: sed si non adesset ejus rei necessitas, nullam habet speciem legati ad pias causas. . . ubi vero pro hujusmodi necessitate relinquitur, pro legato ad pias causas omnino accipietur, præter quam quod ejus executio ad ecclesiasticos non spectabit, ubi jus ecclesiæ aliqua in re non attingeret » cit. cap. 27, De legat. piis, n. 21.

(73. Quantum ad piorum legatorum executionem spectat « pietatis causa episcopus fecit olim executores piarum omnium dispositionum, iisque facultatem attribuit compellendi laicos ad implementum, non absolutam, sed cumulatum cum laicis magistratibus: « vel principali, vel Pontificali auctoritate compelli hæredes ad obsequium « supremæ voluntatis. » Ulpianus respondit, l. hæreditas, 53, De pet. hæred. dum sacris templorum custodibus consueverant idecirco prisce etiam idololatræ supremas tabulas commendare. Quinto Ecclesiæ sæculo impp. Leo, et Anthemius exactionem pii legati in redemptionem captivorum episcopo diocesano demandarunt: l. Nulli 28. Cod. de episc. et cler. Dein Justinianus, Novell. 131, cap. 11, generatim edixit, pias quaslibet defunctorum voluntates, nedum pro captivis redimendis, verum pro alendis etiam pauperibus, ut implerent executores testamentarii; tum si hos testator non designaverit, vel designati negligentes, aut contumaces fuerint, ad episcopum loci, ecclesiæque œconomum devolvi munus implendi: « in omnibus enim, addit imperator, talibus piis voluntatibus sanctissimos « locorum episcopos volumus providere, ut « secundum defuncti voluntatem universa « procedant; licet præcipue a testatoribus, « aut donatoribus interdictum sit eis hære ad hoc aliquod participium. » Imperatoriis hisce legibus utitur Gregorius IX ad episcopalem jurisdictionem tuendam canonico jure Decretalium in piis dispositionibus. »

Hoc pacto in cap. *Nos quidem* 3, ex de Testam. ad episcopum Calaritanum rescribit: « Secundum piissimas leges, dilatas defunctorum pias voluntates episcopali decessus est studio adimpleri. » Deinde Novodunensi episcopo in cap. *Tua Nobis* 17. eod. tit. responsum dedit, nempe: « Cum in omnibus piis voluntatibus sit per locorum episcopos providendum, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant, licet etiam a testatoribus id contingeret interdici. »

(74. Conformiter juri Decretalium Tridentina synodus decrevit in hæc verba: « Episcopi, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati, in casibus a jure concessis omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quam inter vivos sint executores. . . ac omnia quæ ad Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustentandos instituta sunt, ipsi ex officio suo, juxta sacrarum canonum statuta, cognoscant, et exequantur. » Sess. 22, De reform., cap. 8.